



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annus Cisterciensis

In quo Pia, Et Brevi Apostrophe proponuntur Veneranda, & Imitanda Gesta
præcipua, & eximiæ Virtutes Sanctorum ac Beatorum utriusque sexûs
Ejusdem Sacri, Et Ab Origine Sua Exempti Ordinis

Meglinger, Joseph

[S.l.], Anno MDCLXXXII.

12 Januarij. Pridie Idus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45295

S. BERNARDUS, *serm. 5. de divers.*

Hodie si vocem ejus audieritis:

Vox di-
vina
nunc a-
mabilis
post for-
midabi-
lis.

&c. [psal. 54.] *Utilius namq[ue], & multo salubrius est, hodie eum audire consulentem, consolantem, admonentem, docentem, & ut multum, arguentem, increpantem, corripientem: quam in die illa tam amara, tam lugubri, tam tenebrosa, audire illum judicantem, indignantem, ulciscentem, sevientem, condemnantem.*

(☩)(☩)(☩)(☩)(☩)(☩)(☩)(☩)

12 Januarij. Pridie Idus.

Obijt
anno
1166.

SAILREDE: quem nobilitas generis, & preclara indoles Davidi Scottorum Regi cum primis gratum fecit: ita ut adhuc juveni summam regie domus prefeeturam demandaverit. His tamen amoribus spretis, pro luxu jejunia, pro fastu paupertatem in Rievalle quaesivisti, tota stupente Insula, quod aetatis floridae delicias, & fortunae aridentis favores tanta mentis generositate contemneres. In Abbatem successu temporis electus vix persuaderi poteras ad acceptandam dignitatem; licet esses dignissimus: sicut & alios honores a Rege oblatos constanter recusasti

cu fasti. A negotiorum æstu libero gratius non fuit refrigerium, quàm sacra solitudo; in qua plusquam quadraginta libros, cęlesti potiùs, quàm humana eruditione refertos elucubrasti. Quod deniq; omnium laudum tuarum compendium est; alterum te BERNARDUM communis per orbem fama deprædicabat. Ei te similem fecerunt sprete Infulæ; contempta mundi gloria, & contemptorem sequens: quæsita quies; sed sæpius charitate ad publica regni negotia vocante interrupta. Tum zelus Justitię: morum & eloquij mellita suavitas. Et demum scientia infusa, quæ solum DEUM agnosceret magistrum.

Exora mihi à Deo spiritum, quo aurea illa soliloquia eruētabas. Ut eodem fervore tecum sæpe suspirem, dicamque: [Quæsi vi requiem infelici animæ meæ: sed ubiq; labor & gemitus... Clamasti, Domine, clamasti, vocasti, terruisti, rupisti surditatem meam. Audivi, sed heu serò clamantem...

Itaq; intendi in meipsum, quid essem, ubi essem, qualis essem. Exhorruï & expavi, Domine, propriam effigiem meam: terruit me tetra imago infelicitatis animæ meæ... Cæpi ergo conijcere, quantum inexpertus potui; imò quantum tu dedisti; quanta in tua dilectione jucunditas; quanta cum jucunditate tranquillitas; quanta cum tranquillitate securitas &c.

B 4

Clarus scribēdi copia, et nitore.

S. Bernardo similis.

Speculi chatit. lib. 1. cap. 28.

Consideratio sui ipsius.

*Floruit
anno
1140.*

*S. Bern-
nardo
intimè
famili-
aris;*

*Abdi-
catâ di-
gnitate
mona-
chum
induit.*

*scribit
vitam
S. Bern.*

B. GUILIELME, S. Theoderici in Ordine D. Benedicti quondam Abbas; ac eo tempore Mellifluo BERNARDO intimè familiaris. Quem cùm in suo tugurio sub rusticani stentoris cura laborantem inviseres, summè admiratus es beatissimi Patris serenam animi tranquillitatem, in vexatione tam dira & prorsus inhumana. Tu interim feбри correptus, ab eo sic afflicto altera vice restitutus es sospitati. Accendebat, non satiabat amorem tuum paucis subinde diebus gaudere amici præsentia. Ut igitur te illi indissolubili vinculo adstringeres, optabas, relictâ Abbatia in Claravalle monachum induere: sed nullis precibus à BERNARDO impetrasti, ut consentiret. At verò moræ impatiens, illo nequicquam obstante, in monasterio Signiacensi pulchram vestem in candidam permutasti. Hic non soli tibi, sed & posteris denuo invenisti BERNARDUM: cujus effigiem in tuis de ejus vita commentarijs stylo suavissimo expressisti. Tandem ætate & laboribus confectus, ad dilectum tuum, non ampliùs in Claramvallem, sed paradisi delicias emigrasti. *Inflamma me ardenti illo amore, quo tu dulcissimum amicum tuum complectebaris. Fac, ut illum ubiq; oculis memoriæ, velut præsentem*

sentem, & actiones meas moderantem, in-
 tuear. Illum in mellifluis scriptis suis stu-
 dium perfectionis tam suaviter instillan-
 tem, quam seriò inculcantem pro viribus
 sequar. Ille vicissim mihi succurrat in ne-
 cessitatibus meis: adjuvet pugnantes in
 tentationibus: donet industriam in labori-
 bus: adsit unà tecum mihi in postremis vi-
 ta angustijs: jungat denique me sibi tibiq;
 in illa felicitate, ad quam suspiravit, cum
 scripsit:

S. BERNARDUS, serm. 2. de diver.

Quando veniam, & apparebo ante
 faciem Dei? Quando cessabunt hæc
 omnia, & jam non erit amplius neq;
 luctus, neq; clamor, sed nec ullus do-
 lor? Quando inebriabit animam u-
 bertas domus Dei, & torrens ille in-
 deficiens Voluptatis Divine? Quan-
 do totam sibi eam serenissimi contem-
 platio luminis vendicabit? Filioli,
 concupiscamus in atria Domini; cre-
 brò suspiremus illuc.

Amor,
 venera-
 tio,

patroci-
 nium S.
 Bernar-
 di.

Gemi-
 tus ani-
 mæ su-
 spiran-
 tis in
 cœlum.



B 5

13 Ja-